DISSERTATIO EPISTOLICA
HISTORICO-ECCLESIASTICA

DE

PHILOSOPHIS GENTILIBVS CHRISTIANAM RELIGIONEM IMPVGNANTIBVS

IN ABITVM

VIRI

ORNATISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

PHILIPPI IACOBI KOCHERI

BVXOV. ALSATI

SOCIETATIS IN INCREMENTVM DOCTRINAE AC VIRTVTIS IVXTA SALAM INSTITVTAE MEMBRI ORDINARII

DICTAE SOCIETATIS IVSSV

CONFECTA

A

CHRISTIANO NICOLAO KOCHIO

BVXOV. ALSATO, ATQVE EIVSDEM SOCIETATIS MEMBRO ORDINARIO.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA

A. O. R. M DCC XXXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. I.

MAGNAM noſtra ætaes flicitatem iure meritoque ſibi vindicare poteſt, quod ſolidioris doctrinæ cultores ſtudia ſua bonis litteris pariter ac philoſophiæ conſecrent. Inde ſuperuacaneum foret, multa de horum non ſatis laudandis gloriari conatibus, quum res ipſa hac de re non loquatur ſolum; ſed iam dudum eruditiſſimorum virorum exemplis illud ſit confirmatum. Quemadmodum vero extitere omni æuo humanæ ſapientiæ oſores; ita nec noſtris deſunt temporibus, qui, quum in ſolidioribus ſcientiis hoſpites plane ſunt, diriſſimas hac de re querelas effundunt ſibique pro ſua inſcitia falſo perſuadent, philoſophica ſtudia cum theologia conciliari minime debere, quoniam chriſtianæ religioni inſigne adferrent detrimentum. Hinc in eo præcipuam ſuam collocant operam, vt omnes ab hoc labore deterreant. Quam infauſta fuerint cœtui ſanctiori philoſophiæ ſtudia, ex omnium ſeculorum rebus geſtis probare conantur. Ipſum Paullum philoſophiæ hoſtem ex eo fingunt, quod *Col.* 11, 8. de philoſophiæ ſtudio chriſtianos ſit dehortatus ac, nullos periculoſiores euangelium ab ipſis incunabulis ſuis expertum eſſe hoſtes, credunt; quam philoſophos, quippe qui ex ſua præſertim ſcientia tela ſumſerint, quibus chriſtianorum ſacris maxima inflixerint vulnera. Hæc et alia alta voce clamant et cælum ac terram mouere videntur ut aliis fidem faciant, non plane iniuſtas eſſe has querendi cauſſas. Quam infirmæ et quam omni fundamento deſtitutæ, immo inſanæ hæc querelæ ſint, ſole clarius eſt. Inſigniter falluntur, qui Paullum omnem philoſophiæ vſum chriſtianis interdicere, exiſtimant: βλέπετε,

dicens,

dicens, *μή τις ὑμᾶς ἔςαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας, videte, ne quis ſit, qui vos deprædetur per philoſophiam.* Iam pridem viri eruditiſſimi * monuerunt, diuinum legatum non de philoſophia in vniuerſum; ſed de ea corrupta, quæ ea tempeſtate in vſum recepta fuit, loqui. Principia enim, quibus nitebatur, rei chriſtianæ valde noxia et ad fallendos incautos comparata erant, vti hoc fuſius IO. FRANCISC. BVDDEVS ** atque IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS *** expoſuerunt. Nec idoneum iſtis eſt fundamentum, quare ad philoſophos, qui primis ciuitatis chriſtianæ temporibus chriſtianam religionem impugnarunt, prouocent. Negari quidem non poteſt, hos inter hoſtes, quos chriſtiani experti ſunt, haud vltimum tenuiſſe locum; ſed non eſt cauſſa, cur hanc ob rem in admirationem quamdam rapiamur. Videbant enim, chriſtianorum doctrinam in dies latius ſeſe diffundere nulloque plane crudelitatis genere extirpari poſſe; gentilium contra religionem detrimentum capere, id quod philoſophi, qui ſuam hac ratione euileſcere auctoritatem bene intelligebant, ægre tulerunt ac varia, non vti philoſophos decet, calumniarum genera contra eos ſuſceperunt. Quod iam Paullo animum ſuum chriſtianæ doctrinæ infenſiſſimum prodiderint, in ſacris litteris * relatum legimus. Adgreſſi enim ſunt ipſum variiſque de rebus, ſibi minime cognitis, loquenti, magna cum inſolentia contradixerunt et quum rationibus eum vincere non poſſent, ** conuiciis eum affecerunt, eodem pariter modo, quem poſtea quatuor primis a chriſto nato ſeculis imo et ſequentibus ſequuti ſunt plurimi chriſtianæ religionis hoſtes. Hique ipſi ſunt, de quibus verba facere, mecum iam conſtitui. Non quidem omnium philoſophorum, qui aliquid contra

* ſcriptores, qui in illuſtrandis his verbis operam ſuam poſuerunt, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis philolog. et critic. in epiſt. ad Col. cap.* 11, 8. p. 351. ac MICH. LILIENTHAL in *dem Bibliſchen Archiuario* p. 636. recenſent.

** in *eccleſia apoſtolica* p. 351. ſeq. et p. 464. ſeq.

*** in *hiſt. eccleſ. ſec. 1. part. 2. cap.* 1. §. v. ſeq.

* *act.* XVII, 6.

** quum enim Paullus Athenis cum philoſophis Epicureis ac Stoicis diſputaret et in ipſo areopago, iudicio Athenienſium, ex viris eruditiſſimis conſtante, cauſſam religionis chriſtianæ ſincere ageret, eo cum ſucceſſu rem ſuam geſſit tantaque ſoliditate ac ſapientia philoſophos iſtos refutauit, vt quidam dicerent: *de eo te vberius audiemus* et ex ipſis ſenatoribus Dionyſius Areopagita religioni ſe addiceret chriſtianæ.

tra chriſtianos tentarunt, nomina ad nos peruenerunt; ſunt autem potiores, quorum nomina nobis monimenta illius æui conſeruarunt, ſequentes et quidem, qui ſeculo ſecundo contra chriſtianos pugnarunt: CRESCENS, CELSVS, quem excipit LVCIANVS SAMOSATENSIS; fuerunt vero et alii ſeculi ſecundi philoſophi, qui infenſum religioni chriſtianæ animum demonſtrarunt: ARRIANVS, *Epicteti* diſcipulus, ac MARCVS AVRELIVS ANTONINVS, imperator ac philoſophus, quibus ex hiſtoricis adiungi poterunt C. CORNELIVS TACITVS, C. PLINIVS SECVNDVS atque C. SVETONIVS TRANQVILLVS; qui autem, quamuis varia iniurioſa de chriſtianis in ſcriptis ſuis reliquerunt; talia tamen quoque referunt, ex quibus eorum innocentia cognoſci poteſt. Vbi ſeculum tertium cogitamus, PORPHYRIVS, PHILOSTRATVS ac HIEROCLES fuerunt, qui chriſtianam religionem perturbare voluerunt. Seculum quartum LIBANIVM ac IVLIANVM tulit, in quorum claſſem et HIMERIVS, AMMIANVS MARCELLINVS, EVNAPIVS SARDIANVS et Q. AVRELIVS SYMMACHVS referri merentur. Eiusmodi religionis chriſtianæ hoſtes veritatisque cœleſtis oppugnatores variis hanc in rem vſi ſunt argumentis, quibus chriſtianam doctrinam infringere tentarunt et quæ hic recitare, inſtituti ratio poſtulare videtur. Difficile autem foret, omnia argumenta, quæ eiusmodi peruerſi homines ad oppugnandam ſanctiſſimam noſtram religionem adhibuerunt, adferre. Sufficiat, præcipua modo adduxiſſe, ex quibus ſatis ſuperque cognoſci poterit, quam parum philoſophice philoſophi hi ſe geſſerint. Ipſum auctorem ſacræ religionis aggreſſi ſunt atque, tantum eum fuiſſe, quantum eum voluerunt chriſtiani, negarunt. CELSVS, teſte ORIGENE, * eum per adulterium a femina paupercula natum fuiſſe, quæ ideo a marito e domo eiecta ſit et vagabunda partu clandeſtino eum pepererit, eumque præ inopia mercede in Aegypto ſeruire coactum fuiſſe adſeruit: quæ ita comparata ſunt, vt minime, cum viro, ſana ratione prædito, non dicam philoſopho conuenire queant, præcipue quum, a Iudæo quodam hæc ſe accepiſſe, refert. IVLIANVS, teſte CYRILLO, ** ex loco *exod.* XVIII. diuinitatem chriſti negare atque probare ſibi ſumſit, Moſem hic non de chriſto loqui. Alii autem, ſi veritatis vi adacti miracula vera perpetraſſe mundi redemtorem confeſſi ſunt, ex magica virtute illum id egiſſe

)(3 calum-

* *libr.* I. *contra Celſum* p. 22. ** *libr.* VIII. *contra Iulianum* p. 253.

calumniati ſunt. Hoc iterum iam memoratus Celſus * adfirmauit, quum de chriſto refert, quod, quum in Aegypto ſeruilia officia præſtiterit, artes magicas ibi didicerit. Videtur autem hic CELSVS, notante IO. FRANC. BVDDEO **, ſibi non bene conſcius fuiſſe, ea quidem ex ratione, quia Epicurei, cui ſectæ ipſe addictus fuit, artes magicas reiecerunt, eosque, qui eas ſe poſſidere iactabant, impoſtores vocarunt; quam pulchre vero hæc cum idea Philoſophi conueniant, aliis iudicandum permitto. Alii meliorem viam elegiſſe ſibi perſuadent, ſi miracula, a chriſto facta, non negant, ſed non magni æſtimanda eſſe, credunt, quem diſputandi modum inter alios ſequutus eſt IVLIANVS. *** Tandem et aliis alia adhuc placuit via, dum quosdam inter ſuos conquirebant eosque variis mendaciis ac figmentis exornabant, ut, ſi non ſuperiores chriſto, tamen pares haberentur. Siue enim natiuitatem; ſiue vitæ ſanctitatem; ſiue miracula; ſiue mortem; ſiue reſurrectionem; ſiue adſcenſionem in cœlum conſideres, ſimile quid PHILOSTRATVS * de *Apollonio* nullam aliam ob cauſſam enarrat; quam vt aliis perſuadeat, nullam eis eſſe rationem, gentilium ſuperſtitionem deſerendi, quum etiam inter ſuos philoſophos tales extiterint, qui, ſi chriſto non præferendi, tamen cum eo comparandi eſſent. PHILOSTRATVM ſequutus eſt HIEROCLES, qui comparationem hanc chriſti cum Apollonio apertius adhuc iſto inſtituit, vti ex LACTANTIO ** colligi poteſt. Proximos chriſti amicos, qui magiſtri placita per orbem ſeminarunt, viros probiſſimos ſanctiſſimosque alii impoſturæ et mendaciorum maximorum adcuſare, non erubuerunt, quam in rem ſufficiat ex ceteris dictum Hieroclem adducere, qui apoſtolos, vt LACTANTIVS *** loquitur, *fuiſſe fallaciæ ſeminatores* adſeruit; optime autem ab ipſo LACTANTIO refutatur. Sacros iterum libros, quibus ſanctiſſimæ religionis noſtræ continentur fundamenta, res ſibi contradicentes complecti, criminati ſunt. Id PORPHYRIVS, quantum ex fragmentis * eius ab

EVSEBIO

* *ibid.*

** *diſſertat. hiſtoric. theologic.* p. 473.

*** apud CYRILLVM *libr.* X. p. 327. conf. et *libr.* VI. p. 213. legique hanc in rem merentur verba PETR. DAN. HVETII *demonſtrat. euangel. part.* II. *prop.* 9. p. 749.

* in vita Apollonii, quam refutauit PETR. DAN. HVETIVS *demonſtr. euang. prop.* IX. *cap.* 147. p. 974. ſeq.

** *diuinar. inſtitut. libr.* III. *cap.* 11. HIEROCLIS enim ſcripta deperdita ſunt.

*** loco cit.

* collegit ea LVCAS HOLSTENIVS de *vit. et ſcriptis Porphyrii cap.* XI. p. 274.

EVSEBIO et HIERONYMO conſeruatis, colligi poteſt, egit ex hisque concluſit, eam a deo, tanquam ente perfectiſſimo, non profectam fuiſſe; quæ autem a IO. FRANC. BVDDEO * refelluntur. Eodem argumento Hieroclem contra chriſtianos vſum eſſe, ex LACTANTIO ** diſcimus; qua ratione autem iſtud proſequutus ſit, quia ſcriptum eius non amplius ſupereſt, non conſtat; probabile autem eſt, iſtum non ſolidiora Porphyrio in medium protuliſſe. Chriſtianæ porro religionis capita inique detorſerunt. Varia hac de re extant exempla, ex quibus CELSI *** afferre placet, qui refert, veteres mundum Dei filium vocaſſe, hancque ſententiam chriſtianos ab ipſis mutuatos eſſe; quæ vero nihil alind pro fundamento habent, quam imperitiam quamdam doctrinæ chriſtianæ, qua plurimi euangelii hoſtes ita præditi erant, vt IVSTINVS ** de CRESCENTE ſcripſerit, *quod indignus ſit, qui philoſophus dicatur, propterea quod multa impia de chriſtianis aſſeueret; quum tamen ne quidem doctrinam chriſti legerit.* Cum hac inſcitia nefandam calumniandi libidinem coniunxerunt et varia flagitia vel temere ſuſcepta, vel ex propria malitia ficta, chriſtianæ fidei confeſſoribus tribuerunt. In longum vero campum; quod tamen inſtituti ratio non permittit, mihi excurrendum foret, ſi iſtas calumnias, quibus cœtum chriſtianum impie adfecerunt, referre, animo conſtituerem; qui vero earum notitiam ſibi comparare cupidus eſt, adeat CHRIST. KORTHOLTVM. ** Ex hoc ſpecimine ſatis abunde colligi poteſt, quam parum philoſophice ſe geſſerint chriſtianæ doctrinæ impugnatores. Vlterius hoc oſtenderunt fortiſſimi eius æui rei chriſtianæ defenſores. Ex græcis præcipue IVSTINVS MARTYR, TATIANVS, ATHENAGORAS, THEOPHILVS ANTIOCHENVS, HERMIAS, CLEMENS ALEXANDRINVS, ORIGENES, EVSEBIVS, ATHANASIVS, CYRILLVS ALEXANDRINVS, et ex iis, quorum ſcripta deperdita ſunt, ARISTIDES, QVADRATVS, APOLLINARIS ac METHODIVS; ex latinis autem TERTVLLIANVS, MINVTIVS FELIX, CYPRIANVS, ARNOBIVS et LACTANTIVS notandi ſunt. Ex horum numero non tantum ipſi quidam fuere, qui Philoſophiam profeſſi ſunt, vt ORIGENES, CLEMENS ALEXANDRINVS cum aliis; ſed et alii gentiles, vt IVSTINVS MARTYR, TATIANVS, atque ATHENAGORAS veritatis vi

* *diſſertat. hiſtoric. theol.* p. 490.
** loco cit.
*** apud ORIGENEM *libr.* VI. p. 308.
* *apolog.* II. *pro chriſtianis* p. 27. edit. Oxon.
** *in pagano obtrectatore.*

vi adacti ad ſacra chriſtianorum tranſierunt, qui omnes ea pugnandi ratione vſi ſunt, quæ ſatis declarat, quam probe philoſophicis ſcientiis fuerint imbuti et quam feliciter iis contra hoſtes vſi ſint, manifeſto documento, non tantum non nocere; ſed vel maxime requiri in veritatis chriſtianæ defenſore rerum philoſophicarum haud vulgarem ſcientiam. Quumque in id operam tuam etiam collocaueris, ſuauiſſime KOCHERE, omnique ſtudio laboraueris, vt in hac ſcientia cognitionem haud medicorem tibi comparares, eo lubentius, argumentum hoc, quantum ex inſtituti ratione fieri potuit, explicare, mihi ea occaſione propoſui, qua TIBI, a nobis diſceſſuro et patriæ ſolum charum dulce atque iucundum repetituro SOCIETATIS, quam nobiscum conſtituiſti ac coluiſti, nomine diligentiæ ac virtutis teſtimonium præbere ac quæuis optima precari, iuſſus ſum. Summis, dico, laudibus efferendus es, qui in tale tam ſedulo incubuiſti ſtudium, quod tibi maxima in ſtudio theologico ſubſidia et potuit præſtare et præſtitit. In eo enim tractando et ad theologiam applicando vſum ab abuſu diligenter ſemper diſtinxiſti hacque ſtudendi ratione eum te reddidiſti, qui non ſolum ſanctiora principia contra aduerſarios, quorum noſtra ætate haud paruus exiſtit numerus, qui ex philoſophiæ abuſu res diuinas cauillantur ac vilipendunt, defendere; ſed et iis, qui ſanum ac ſobrium philoſophiæ vſum ſpernunt, exemplo et ſolidis rationibus incitare poterit, vt ad meliorem redeant frugem. Quemadmodum autem omnis theoria niſi cum ea praxis connectatur, non magni æſtimanda eſt; ita et hoc ſemper probe perſpexiſti omnesque cogitationes tuas eo ſemper direxiſti, vt ad eam cognitionem, quam tibi theoreticam comparaſti, et actiones tuas inſtituas, hæc enim ratio viuendi theologo conueniens eſt, hic eſt modus, tam deo; quam hominibus placendi; nihilque ſupereſt, quam vt eo, quo tibi iuncti ſumus, amicitiæ vinculo, amice te adhortemur, vt et in patria verſaturus hanc viuendi rationem proſequaris. Ita enim optime eos refutare poteris, qui eum philoſophandi ſectantur modum, vt in actionibus aliorum diiudicandis plus corruptæ ſuæ voluntati, quam ſanæ tribuant rationi. Ceterum vale! et nos amare perge?

F I N I S.